

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXV. De dulci consolatione domini qua consolatur hominem.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

ut, quia Christus humilis fuit et obediens, studeat humiliter omni se subjecere creaturæ, et si opportunum fuerit, usque ad mortem obedire. Hæc talis virtus ex unione Christi virtutis nobilior erit, quam mille virtutes quæ tali intentione non sunt peractæ. »

CAPUT XXXIV.

QUALITER DEUS OPERA SUA HOMINI COMMUNICAT.

ORABAT aliquando pro quadam valde benevolâ ad labores, specialiter ad vilia opera; vidiq[ue] eam coram Domino flexis genibus et elevatis manibus, quasi oraret. Ad quam Dominus manus suas, de quibus balsami liquor emanabat, manibus suis applicuit, et liquorem illum instillabat dicens: « Ecce do tibi omnia operamea in sanctificationem et supplementum operum tuorum. » Intellexitque opera ejus et labores Deo valde complacere. Et ait Dominus: « Cum laboribus impedita mihi non valet intendere, legat Antiphonam: *Gratias tibi Deus, gratias tibi, vera, una Trinitas et trina Veritas, trina et una unitas*, vel: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia ipsi gloria in sæcula*, et studeat hominibus mite dare responsum. »

CAPUT XXXV.

DE DULCI CONSOLATIONE DOMINI QUA CONSOLATUR HOMINEM.

ITERUM cum pro una oraret, vidit Dominum illam, pro qua orabat, dextera tenentem, et per quoddam pratum amœnum et florigerum deducentem. Per quod intellexit

Patiens in
infirmitate
cor suum
mundat.

quod eam ante mortem variis infirmitatibus vellet gravari. Dominus quoque habebat in pectore lilia, rosas et scuteola aurea; quæ illa cum magna delectatione confidenter accipiens, et cum his ludens ante pectus suum ponebat. In scuteolis intellexit designari constantiam et victoriam; in rosis, patientiam, quibus in suis infirmitatibus deberet triumphare; in liliis vero, cordis munditia notabatur, in qua Christo debuit conformari. Tunc illa quæ hæc videbat. dixit ad Dominum: « Dulcissime Deus, oro ut in extremis ejus des illi prægustationem æternæ vitæ: scilicet securitatem nunquam a te separandi. » Ad quam Deus: « Quis nauta qui bona sua cum pac: ad portum evexisset, sponte in mare projiceret¹? Sic animam ejus, quam ab infantia in Religionis proposito elegi, cuius manum dexteram tenui, et in voluntate mea deduxi, cum eam secundum placitum meum perfecero, etiam cum gloria mihi assumam. »

CAPUT XXXVI.

DE TRIBUS VIIS DOMINI.

Christi
paupertas,
labor et
passio.

Cum pro quodam tribulato oraret, hoc a Deo responsum accepit: « Tres vias in hoc mundo ambulavi, per quas quicumque me perfecte imitari voluerit, sequi oportebit. Prima erat arida et angusta; secunda florida et fructiferis arboribus consita; tertia spinis et tribulis erat plena. Prima itaque via est voluntaria paupertas, quam omnibus diebus vitae meæ in summo tenui et dilexi; secunda est virtuosa et laudabilis conversatio mea; tertia, dura et aspera

1. Cf. Cap. 26. *supra*.